

lebrante, *si in Dioecesi Bracharensi adsit consuetudo*; secus petendam esse benedictionem a celebrante, dummodo sit Episcopus, juxta Caerm. Lib. I. c. 22. n. 4469 ad 1 die 10. September 1796.

Vd.: *Concio cor. SSmo.*

### 3) Regularis.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXXII. n. 5. 6.; Concio Dignitatum* (decr. n. 4669).

### 4) Salutatio.

#### a) Cleri.

Absente Archiepiscopo Concionator nec Priores, nec Magistratum nec Capitulum salutare debet. n. 1648 die 3. Aug. 1652. Non est inconveniens, si Ministri altaris et ipse Celebrans salutationi concionatoris respondeant. n. 3120 ad 7 die 2. Julii 1686.

Concionator debet prius salutare Canonicos Cathedr. in apparatu choralis absente Episcopo, capitulariter sedentes et deinde Gubernatorem saecularem n. 3243 die 11. Aug. 1691. Etiam praesente Episcopo: n. 3304 die 24. Jan. 1693.

Concionatorem non teneri absente Episcopo Canonicis Cathedr. titulum Rmi. tribuere. n. 3434 die 13. Julii 1697; n. 3545 ad 3 die 23. Jan. 1700; n. 3768 ad 2 die 2. Apr. 1707.

*Ad dubium*: An concionator debeat prius salutare Capitulum aut Magistratum? S. C. resp.: *Affirmative* n. 3545 ad 2 die 23. Jan. 1700.

Salutatio per Concionatorem Capitulo et Magistratui est peragenda cum praelatione Capituli. n. 3992 ad 4 die 9. Decb. 1730.

Concionator absente Episcopo post reverentiam generalem factam Capitulo deinde populo, non tenetur vix incoepa Concione iterum veniam exhibere seu postulare a Canonicis, quia

ut ajunt, unum sunt cum Episcopo. n. 4536 ad 7 die 4. Junii 1817.

#### b) Episcopi.

Deberi Episcopo primam et distinctam salutationem n. 3385 die 7. Apr. 1696. Dum assistit Suffraganeus Velitern. in Presbyterio concioni, salutatio praedicatoris ei prius dirigi debet distincte ab illa Canonicorum et Magistratus saecularis. n. 3491 ad 4 die 6. Sept. 1698.

#### c) Laicorum.

Vd.: *Reverentia; Magistratus* (reverent).

Non licet Concionatori salutare Magistratum et alios cives titulo Illmi. praesente et absente Archiepiscopo. n. 2877 die 18. Mart. 1679.; n. 3545 ad 3 die 23. Jan. 1700; n. 3768 ad 1 die 2. Apr. 1707.

Connivendum fore ab Archiepiscopo (Surrentino) ut Concionatores, postquam initio concionum ipsum salutarint cum titulo Illmi. et Revdmi., juxta antiquam consuetudinem Gubernatorem et Magistratum subinde salutarint cum titulo Illmi. n. 2068 die 12. Junii 1660.

Duci Campaniae dari non debet a Concionatoribus salutatio cum titulo Excellentiae post illam Episcopi. n. 3705 ad 1 die 13. Sept. 1704.

Faciendam esse a concionatoribus unicam reverentiam ante initium concionis, primam Capitulo, alteram Magistratui. n. 4403 ad 7 die 23. Julii 1781.

## CONCLUSIO.

### 1) Orationum diversarum.

Vd.: *S. Ludovicus; Absolutio in die Commemor. etc.; Oratio imperata* (decr. n. 4526); *Exaltatio s. crucis* (conclus.); *Missa vot. pro Spons.* (conclusio). *Anniversarium*

*creationis et coronat. SS. PP.* (oratio); *S. Camillus de Lellis.*

*Oratio*: Excita Domine in populo tuo spiritum charitatis etc. concludenda est: *Ejusdem Spirit. s.* n. 1181 die 17. Sept. 1639.

*Ad dubium*: Si 2. oratio est de Spiritu s. aut de eo fit mentio, tertia sive ultima debet concludi *Ejusdem Spir. s. Deus etc.?* S. C. resp.: *Negative*; n. 4055 ad 6 die 15. Sept. 1736.

*Ad dubium*: In aliquibus Breviariis, et Missalibus Orationes Sancti Juliani, Sancti Fidelis, Postcommunio Sancti Joannis Nepomuceni, Sancti Bernardini, Sancti Hieronymi Aemiliani, Sanctae Joannae Franciscae, Postcommunio Sancti Januarii, Octavae Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Feriae quartae post Dominicam secundam Quadragesimae in Vesperis concluduntur: *in unitate Spiritus Sancti*; quaeritur: an nomen *Spiritus*, quod in iis Orationibus legitur, indicet revera Spiritum Sanctum et quomodo sint concludendae? S. C. resp:

Negative, ad primam partem; ideoque quoad secundam more solito concludendae. n. 4669 ad 49 die 12. Novb. 1831.

Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit R. P. Fr. Jacobus Spratt Ordinis Eremitarum Sancti Augustini hodiernus Prior Collegii Sanctae Mariae in Posterula Urbis, nimirum:

1. Quando in Missa vel Officio dicuntur plures Orationes sub unica conclusione, et in prima Oratione, vel secunda, non autem in ultima nominatur Spiritus Sanctus, quaeritur: an in conclusione dici debet: *in unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.*

2. An idem dicendum *Per eundem Dominum nostrum*, quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex

praecedentibus tantum fuerit nominatus?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, audita relatione ab infrascripto Secretario facta respondendum censuerunt: Negative ad utrumque. die 23. Maji 1835. n. 4747.

### 2) Orationum SSmi.

S. R. C. mandavit, ut servetur rituale rom. circa conclusionem orationis: *qui vivis et regnas per — saeculorum*, vel: *qui . . . in saec. saeculorum*, in repositione SSmi. n. 3140 die 14. Junii 1687; n. 3145 die 30. Aug. 1687. *Instructio Clem. §. XXIV.* n. 23 etc.

Cum ex parte civium Civitatis Platinae Dioecesis Catanien. expositum fuerit, quod occasione, qua in Ecclesiis Civitatis praedictae exponi solet SSnum. Eucharistiae Sacramentum, inoleverit abusus recitandi post finem ultimae Orationis loco: *Qui vivis et regnas, etc.*: *Per Dominum Nostrum Jesum Christum filium etc.*, ac propterea ea pro declaratione, quomodo terminanda sit ultima Oratio? S. R. C. humillime fuit supplicatum.

S. eadem R. C.: „Orationem praedictam his verbis: *Quis vivis, et regnas in saecula etc.* concludi debere“ declaravit. Et ita servari mandavit. n. 3912 die 10. Sept. 1718.

*Ad dubium*: An Oratio: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili concludi debeat per verba: Qui vivis et regnas in saecula*, seu: *qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum?*

Et S. eadem C. . . respondendum censuit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5152 ad 6 die 29. Martii 1851.



## CONCURRENTIA FESTORUM.

Vd.: *Festum; Translatio; Officium; Vesperae; Dupl.* (dignit.); *SS. Sacram.* (Off. fer. V. decr. n. 4191)

In concurrentia plurium officiorum aequalis ritus, sive martyrum vel confessorum aut virginum vel viduarum, minime attenditur dignitas eorum sed praeferenda sunt festa posteriorum, si celebrentur pompa solemniori aut sint ex illis festis, quae celebrantur in propriis locis et ecclesiis et hoc juxta verba rubricae de concurr. off. tit. II. n. 2: *Inter festa aequalis ritus etc.* S. R. C. 20. Julii 1686.

SS. Martyres in occurrentia officii dupl. cum s. Confess. non debent habere integras vespas propter majorem dignitatem et nobilitatem, quam habet martyr prae confessore. Neque haec major dignitas et nobilitas tribuenda est confessori concurrenti cum virgine, sicque in concurrentiis officiorum aequalis ritus, quae possunt accidere, s. confessor non habet integras vespas; aliter enim fit in praedictis casibus, quam fiat in concurrentia festorum Domini, B. M. V., Angelorum, Apost., unde in antedictis primis concurrentiis standum est praescriptioni rubricae Brev. rom. de conc. Off. n. 2. quae dicit: *Regulariter fit a cap. de seq.* S. R. C. 14. Decb. 1709 *in una Ord. Capucc.*

Festa per annum duplicia, quae solem. celebrantur a choro, et in populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum et dignitatem possunt habere integras Vespas ad sensum rubricae XI. Brev. rom. n. 2. S. R. C. 22. Aug. 1744 *in Cracoviensi.*

## CONCURSUS POPULI.

(*Quis est?*)

*Ad dubium:* Quid intelligatur verbis: *concursum populi ad celebrandum festum*, qua ratione cani possit missa sol. de festo, quod transferri debet, et an in hac missa dici debeat et possit semper Credo? S. C. resp.: Intelligitur concursus, qui sit extraordinarius et relate ad festa servantur rubricae de translatione festorum et a pari quoad symbolum servantur rubricae missalis. n. 4815 ad XII. 4 die 22. Sept. 1837.

## CONFESSARIUS MONIALIUM.

*De cruce erigenda in funeribus*, vd.: *Processio fun.* (crux)

*De deferenda stola*; vd.: *Stola.*

*De expon. SSmo.*, vd.: *Expos. SSmi.*

Jus benedicendi palmas candelas et cineres, quae Monialibus dandi sunt, competere Confessario. n. 2251 die 6. Sept. 1663.

Vd.: *Fest. Omn. SS. Ord. s. Benedicti; Cappellanus; Aspersorium porrigit Episcopo*; vd.: *Aspersorii Porrectio in Eccles. Monial.*; *Missa in aliena Ecclesia* (decr. n. 3588; 4154; 5195.)

Ad preces Monial. Ord. SS. Salvat. Dioeces. Calagur., ut Asceterii Confessarius ejusque Successores, licet Saeculares Presbyteri, in Divinis persolvendis laudibus se conformare valeant Sanctimonialium Calendario. S. C. resp.: „Obstant Decreta“. n. 4715 ad 6 die 17. Aug. 1833.

## CONFESSIO.

1) Assist. Episcopi.

a) Assistentes.

Quando intervenerit Episcopus missae solemni celebrari solitae a Cano-

nico cum assistentia duorum *Beneficiatorum*, ipsi duo Beneficiati debent genuflectere et sic permanere durante tempore Confessionis faciendae per Episcopum cum Celebrante. n. 2882 die 6. Maji 1679. Cf.: *Episcopus, assist. missae sol.; Diacon. et Subd. Celebrantis etc.; Biretum Episcopi* (quando depon.)

b) Celebrans.

Quando Dignitates et Canonici s. vestibus ad celebrandum induti in altari existunt, Episcopus vero in choro cum sola cappa consistoriali, iidem in Introitu missae, quando dicitur confessio, stare debent sicut Episcopus. n. 3551 ad 10 die 13. Mart. 1700.

2) Diaconus cantat.

Confessio cantari debet per Diaconum, sive Episcopus celebret sive non. n. 15 ad 13 die 16. Mart. 1591.

Convenientius esse, ut Confessio, quae fit post concionem ante Episcopum a Diacono Evangelii, cantetur memoriter ab eo; si tamen aliquis ex Diaconis non poterit sine libro confessionem memoriter cantare, poterit ei concedi aliquis Minister ex inferioribus, qui librum sustineat, donec cantet. n. 374 ad 5 die 15. Mart. 1608; n. 3271 die 26. Apr. 1692.

Canonicos (Diaconos) teneri dicere confessionem post concionem. n. 1650 ad 1 die 28. Sept. 1652.

*Ad dubium:* Finito sermone praescribit Caeremoniale lib. I. cap. 25 num. 1: *Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum vel in supremo gradu Altaris . . . cantat Confessionem:* In libro 2 vero cap. 39 num. 1 legitur: *Statim finito sermone Diaconus stans ante infimum gradum solii . . . cantabit Confessionem.*

Quaeritur primo: An liberum sit

Diacono in Confessione cantanda stare vel ante infimum gradum solii, vel in supremo, aut in infimo gradu Altaris? S. C. resp:

Ad Quaestionem 1. Negative, sed stabit ante gradum Solii, celebrante Episcopo, ante gradum Altaris, assistente tantum Episcopo. n. 4669 ad 14 die 12. Novb. 1831.

3) Genuflexio.

Vd. *Genuflexio chori etc.*

Dum Missa solemniter celebratur Canonici et totus Clerus ad Confessionem cum suo psalmo genuflectere debent n. 1311 die 23. Mart. 1641; n. 1427 ad 1 die 24. Jan. 1643.

Omnes choro interessentes genuflectere debent ad *Confessionem et Benedictionem Paschali tempore excepto, nec non dominicis exceptis.* n. 2856 ad 2 die 32. Jan. 1678

Consuetudinem, ut Canonici in choro existentes ad confessionem stare, reliqui vero inferiores genuflectere debeant, ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. n. 1992 die 19. Julii 1659.

In statione et in sessione cum a Canonicis tum a Beneficiatis uniformitatem semper fore servandam et quoties Divina stare non exigant, nedum a Canonicis verum etiam ab inferioribus aequaliter sedendum esse. n. 1982 die 24. Maji 1659.

Beneficiatos, Cappellanos, Clericosque Beneficiatos et caeteros his inferiores, exceptis Cantoribus Lateranensis . . . in quibuscunque Missis sol. ad confessionem cum suo psalmo teneri ad genuflectendum, quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante, quam abusum esse et corruptelam n. 3189 die 18. Junii 1689.



## 4) Pro Indulgent. lucrandis.

Vd.: *Communio* (pro Indulg. lucr.)

Per decretum S. Congr. J. die 12. Jun. 1822.

Conceditur confessionem sacramentalem peractam *infra hebdomadam ante festivitatem* suffragari posse ad Indulg. lucrandam.

*Dub. I.* Quaeritur 1: An verba „infra hebdomadam“ significant octo dies tantum, quae festivitatem immediate praecedunt: an vero hebdomadam illam totam integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex gr. confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die Sabati hebdomadae sequentis, in quam dies festus incideret, tametsi tunc tredecim dies inter confessionem et festivitatem intercessissent?

Quaeritur 2do.: An Confessio octavo die ante festivitatem peracta vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam; an vero per hanc confessionem aliae etiam indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent et ad quas lucrandas sacr. confessio caeteroquin requireretur?

*Dub. II.*: Quaeritur, utrum, cum in Brevi, quo conceditur indulgentia, confessio, tanquam conditio sine qua non praescribitur, necesse sit, ut sacrament. absolutio Poenitentibus detur ad indulg. lucrandam?

S. C. J. resp. ad dub. I. Quaest. I.: Affirmat. quoad primam partem, negat. quoad secundam.

Ad Quaest. II.: Negative quoad primam partem; affirmat. quoad secundam.

Ad dub. II.: Negative.

Die 15. Decb. 1841.

## 5) Pro Jubilaeo lucrando.

Vd.: *Communio* (pro Indulg. lucr.; praecipue decr. de die 1. Maji 1844.)

## 6) In missa coram Laicis.

Vd. *Missa cor. Laicis.*

## 7) In nocte Nativ. Dom.

Procurator Curiae archiep. Senen. instat declarari, ut mandata ab omnibus pariter servantur, et quaerit: an possit dicta nocte excipi in Ecclesia confessiones maxime mulierum, durante tempore nocturno sive expectandum, ut illucescat aurora pro confessionibus mulierum excipiendis? S. C. resp.: Utatur jure suo. n. 3105 ad 2. die 23. Mart. 1686.

Vd. *Communio (In nocte Nativit.)*

## 8) Laici.

Nulla modo licere confessionem facere cum Magistratu et contrariam consuetudinem esse abusum removendum. n. 1032 die 24. Novb. 1635.

## 9) Locus faciendi.

Vd. *Missa*; (quo gradu alt. incipi.); *Diaconus Missae Celebrantis missam, cui Episcopus ass.*

Non licet Sacerdoti missam solemniter celebranti cum Levitis facere confessionem a cornu Epistolae, praesente ibidem Rege vel alio simili Principe loci, qui sit magnus et supremus non recognoscens superiorem, absente vero Episcopo vel Archiepiscopo. n. 1445 die 18. Apr. 1643.

## 10) Monialium.

Vd.: *Confiteor* (additio)

## 11) Paschalis.

## a) Confessarius

Vd.: *Communio paschalis.*

Episcopi declarare non possunt, quod Regulares ad Confessiones Saecularium

excipiendas approbati, hos in Paschate audire non valeant sine Parochorum licentia, quia Regulares possunt audire Confessiones quorumcumque ad eos Confluentium. S. C. C. 24. Mart. 1597; 8. Junii 1599; 26. Mart. 1671.

## b) Schemata.

Confessores Regulares cogendi non sunt habere libros, in quibus scribantur nomina poenitentium, quod Parochorum proprium est, sed sufficit, quod poenitentibus in scriptis consignant attestationis schedulam, ubi est praecipuum vel consuetudo, ut eam parochus exhibeat tempore paschali. S. C. C. 18. Mart. 1586.

## CONFSSIONALE.

(In Oratoriis.)

*Ad dubium*: An liceat Confratribus retinere Confessionale in Oratorio eorumque Cappellano approbato liceat audire confessiones sine licentia parochi? S. C. resp.: *Arbitrio Ordinarii*. n. 3832 ad 7 die 22. Novb. 1710 n. 3835 ad 3 die 9. Mart. 1710; n. 3914 ad 7 die 10. Sept. 1718.

Non licet sine licentia Episcopi habere in Oratorio Confraternitatis s. Mariae Confalonis sedes fixas confessionales ibique per confessarios approbatos excipi facere confessiones sacramentales. n. 3850 ad 5 die 11. Febr. 1713. Idem decr. pro Confraternitate S. Mariae Perusinae n. 3928 ad 6 die 13. Maji 1719.

Declarationis dubii circa modum concedendi licentias Cappellanis Confraternitatum audiendi Confessionis pro Episcopo Perusino. Scribatur Episcopo juxta mentem. Et mens est, quod absteineat in posterum a concedendis licentiis audiendi confessiones cum clausula „de licentia parochi“. n. 3929 die 13. Maji 1719.

Prior . . . Congregat. s. Philippi N. Placent. potest retinere sedem confessionalem ad publice audiendas confessiones fidelium utriusque sexus independentem a parochi de licentia tamen Episcopi. n. 3864 ad 7 die 10. Mart. 1714.

Cappellani manuales Societatis Mortis Perusinae et alii Sacerdotes ab Episcopo approbati et per confratres invitati, possunt audire confessiones sacr. in Oratorio dictae Societatis absque licentia et consensu parochi et confratres possunt impedire, ne parochus audiat Confessiones in Oratorio. n. 3911 ad 1 et 2 die 9. Julii 1718.

*Ad dubium*: An Cappellanus Confraternitatis SS. Trinitatis Clastidii possit audire confessiones sacr. confratrum et consorum in Oratorio? S. C. resp.: Serventur Constitutiones Synodales. n. 4012 ad 9 die 13. Sept. 1732.

## CONFIRMATIO.

## 1) Assist. Canonicorum.

Vd.: *Canonici assist. Episcopo in hab. can.* (decr. n. 4317.)

## 2) Impos. manus.

Cum in rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: *Adulti seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexteram Patrini sui, quaeritur: an sufficiat, si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexteram Confirmandi?* S. C. resp.: Sufficere. n. 4205 ad 8 die 20. Sept. 1749.

## 3) Nomen imponendam.

*Ad dubium*: An Confirmandos tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N. signo te etc.*, praeter nomen suum baptismale, possit aliud nomen Sancti sibi imponi curare? S. C. resp.:



Posse n. 4205 ad 9 die 20. Septemb. 1749.

#### 4) Signum crucis.

*Ad dubium*: Triplex signum Crucis quod ab Episcopo confirmante fit super Confirmatum dum profert verba: *In nomine Patris etc.*, fieri debet pollice super frontem Confirmati, aut manu simpliciter sine frontis contactu super personam Confirmati?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: Juxta Pontificale dum frontem Chrismate inungit dicere debet *Signo te signo Crucis* signum super frontem ipsam pollice producens; quo facto manu extensa versus Confirmatum incipit: *In nomine Patris etc.* ter signum Crucis efformans more solito.

Atque ita rescripsit, declaravit, servari mandavit. n. 5186 ad 2 die 7. Maji 1853.

#### 5) Sine mitra.

Vd.: *Mitra Episcopi*.

### CONFITEOR.

#### 1) Additio.

Vd.: *Confessio*; *Lytan. SSrum.* (add. illic. decr. 20. Mart. 1606.)

*Ad dubium*: An ad Confiteor post nomen S. Francisci possit addi nomen etiam S. Clarae per verba: *Beatae Matri Clarae*.

Emi. et Rmi. P. s. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Affirmative in omnibus“.

Atque ita rescripsere. n. 5148 ad 5 die 7. Sept. 1850.

Ordinis S. Joannis De Deo.

Beatissimo Padre. Fr. Luigi Maria Carmignani Prior Generale dell'Ordine di San Giovanni di Dio, divo-

tamente espone, che quasi tutti gli Ordini Regolare godono il privilegio di aggiungere al *Confiteor* nella Santa Messa, ed in altre Sacre Funzioni il nome del Santo Fondatore, e perchè i Sacerdoti dell' anzidetto Ordine anelano moltissimo un tal privilegio, l'Oratore si fa ad implorarlo della Santità Vostra, onde ciascuno richiemandosi spesso alla mente il Santo Patriarca, si faccia conpiu impegno ad imitarne le virtù, e specialmente la Carità, fine del suo Istituto. Che ec. Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum sub signata die coadunata in Ordinariis Comitibus, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: *Pro gratia in Officio tantum*: die 16. Martii 1833. n. 4711.

Regulares absque speciali privilegio sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum non possunt addere nomen S. Fundatoris in Lytaniis et Confiteor. S. R. C. 20. Mart. 1706.

In regulis ad Missale Frat. Minor. subjectis S. C. declaravit: In missa dicendum est *Confiteor* pure et simpliciter, prout habetur in miss. rom. absque additione alicujus Sancti etiam Patroni, qui in sola oratione: *A Cunctis* et Postcomm.: *Mundet* addendus est; . . non autem sic in *Confiteor*, ideo in illo nulla debet fieri additio, praeterquam in Ecclesiis Hispaniarum, quibus a Pio V. hoc concessum est. (Cavant. p. I. tit. 3 n. 7) n. 2362 ad 5 die 13. Febr. 1666.

Usum Patrum Congreg. Oratorii s. Philippi Neri Ulyssobon. addere in *Confiteor* nomen s. Philippi eorum Patriarchae posse tolerari. n. 2702 die 16. Junii 1674.

Monialibus Monasterii s. Donati sub regula s. Benedicti Ordin. Cisterciens. extra moenia Florentinae S. C. concessit, ut nomina ss. Benedicti et Ber-

nardi in Confiteor recitari possint et valeant. n. 3998 die 3. Mart. 1731.

Moniales ss. Visitationis Dioec. Genevensis in Confiteor exprimere posse nomen s. Antistitis (s. Francisci Salesii) n. 2425. ad 6 die 19. Novemb. 1667.

*Ad dubium*: An licitum sit in *Confiteor* ad Primam, Completorium et Missam et in Orationibus, ubi S. P. Franciscus nominatur, addere nomen *Patris nostri*, cum hoc expresse legatur in Rubrica peculiari nostri Breviarii (PP. Minorum).

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Affirmative juxta praefati Breviarii Rubricam. num. 158.“

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. Pio PP. VII. P. M. relatione, S. S. S. C. responsa approbavit, confirmavit, atque ita in posterum a dicti Ordinis et Provinciae Religiosis servari mandavit. n. 4549 ad 2 die 25. Augusti 1818.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

S. haec C. approbavit anno 1666 sub die 13. Febr. nedum *Rubricas peculiarias Ordinis Minorum, verum etiam notanda quaedam ad easdem, seu excerpta ex ejusdem S. C. resolutionibus*, quarum altera est: *in Missa dicendum est Confiteor pure et simpliciter, prout habetur in Missali Romano absque additione alicujus Sancti etiam Patroni, qui in sola Oratione: A cunctis, et postcommun.: Mundet addendus est; et in una Ordin. Min. de observ. Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Portugalliae ad quaesitum: An in oratione et versiculis B. Francisci possit addi a Franciscanis: B. Patris nostri: sub die 18. Decemb. 1779 respondit: Negative. Hujusmodi autem Decreta generalem ponunt re-*

Decreta authentica.

gulam; sed quoniam in nova editione *Breviarii trium Ordinum* legitur sequens rubrica num. 158: *Omnibus hoc Breviario utentibus licitum est in Confiteor ad Primam et Completorium et Missam post nomina SS. Apostolorum addere nomen B. Patris nostri Francisci; eaque Patris nostri appellatio, licet usdem pariter in vers.: ora pro nobis etc., et in orationibus seu Breviarii seu Missalis, in quibus Seraphicus idem Patriarcha nominatur etc.; ideo haec specialis facultas Pontificis adprobatione et auctoritate roborata, ut praefatis Decretis posterior est, ita id licitum facit utentibus *Breviario trium Ordinum*, quod sine hujusmodi privilegio foret (il) - licitum.*

Quum in S. R. C. serio examine expendebantur Praeces, quae Sanctimonialibus Ordinis S. Clarae Monasterii Civitatis Havannae in Insula vulgo dicta de Cuba efflagitabant Indultum, ut deinceps nomen S. Matris Clarae addere valerent ad *Confiteor*, in Officii Commemorationibus, caeterisque in Orationibus, in quibus S. Francisci nomen apponitur, innotuit Emis. et Rmis. P. S. tuendis Ritibus praepositis usque ab anno 1825 s. m. Leonem Papam XII. propria manu pro Sanctimonialibus Asceterii S. Cosmae et Damiani Mart. in Urbe signasse gratiam confirmationis consuetudinis ibi invec-tae et eidem Summo Pont. expositae, addendi nempe in Suffragiis, quoties locum habent in Divino Officio, Commemorationem S. Clarae, illiusque nomen exprimendi in privata non minus, quam publica confessionis *Confiteor* recitatione tantum. In Ordinariis quocirca Comitibus ad Quirinale coadunatis sub signata die Emi., et Rmi. P., audita a Secretario fidei relatione super omnibus, de speciali gratia annuendum censuerunt juxta memoratum Indultum a. s. m. Leone Papa XII. Sanctimonialibus Ordinis s.



Clarae ad S. Cosmam et Damianum Urbis concessum. n. 5134 die 22. Julii 1848.

2) In Bened. apost. pro Moribundis.

Vd.: *Bened. cum Indulg. plen. pro Moribund.*

3) Mutatio.

Moniales, quando faciunt inter ipsas Confessiones, non debent alterare verba „vobis fratres“ in *Sorores* et „te Pater“ in „te Mater“; sed Confessionem fieri debere prout jacet in Breviario. n. 827 die 18. Aug. 1629; n. 2364 ad 5 die 13. Febr. 1666.

*Ad dubium:* Quum duo vel plures Officium Divinum privatim recitant, debentne ad Confiteor omittere verba illa: *vobis fratres, et vos fratres: misereatur tui, et misereatur vestri*, sicut quando unus tantum illud recitat? S. C. resp.: „Possunt et non debent“. n. 4669 ad 42 die 12. Novb. 1831.

4) In Ordinatione.

*Ad dubium:* Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione quando dicere debent *Confiteor*, ante, vel postquam communicati sunt Presbyteri? S. C. resp.: Post Communionem Presbyterorum. n. 4669 ad 9 die 12. Novb. 1831.

CONFRATERNITAS.

1) Administratio honorum.

Confraternitates possunt propria bona administrare ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho. n. 3670 ad 31 die 12. Jan. 1704.

2) Associat. funerum.

Vd.: *Processio funebr.; Sepultura.*

Confraternitates non posse impediri, quominus non associant Mortuorum

cadavera ad sepeliendum. n. 832 die 18. Aug. 1629.

Confratres Rosarii Gallipollitanae ab Ordinario impediri non possunt, quominus vocati ad associanda corpora defunctorum accedant, quotiescumque non vocatur Capitulum Cathedr. n. 859 die 8. Junii 1630.

Confraternitates laicorum in actu associationis cadaveris nullo modo posse erigere Crucem propriam. n. 936 ad 2 die 22. Novb. 1631; n. 2910 ad 1 et 2 die 27. Jan. 1680.

Confraternitati Senogall. sub Invocatione ss. Conceptionis B. V. M. non licere associare cadavera sine licentia et interventu Parochi et propriam erigere crucem contra formam decretorum. n. 2293 die 30. Aug. 1664.

*Ad dubium:* An Parochi Monopolitanae Confratres SS. Sacramenti prohibere possint haeredibus defunctorum, ne ipsos invitent ad associanda cadavera, quae in parochialibus deferuntur? S. C. resp.: Non posse prohiberi. n. 2639 die 17. Junii 1673.

Rectores sive Sacristae, qui cum suis *Confraternitatibus* ad funus vocalis incedunt, post absolutum a parocho Officium funeris in sua Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possunt super dicto cadavere iterum funebre Officium peragere sine cruce et stola. n. 2910 ad 4 die 27. Jan. 1680.

*Ad dubium:* An Confraternitates possint accedere ad funeralia *non vocati*; et si fuerint vocati in actu associationis, an possint erigere crucem? S. C. resp.: *Negative quoad omnia.* n. 2912 ad 9 die 24. Febr. 1680.

Licet confratribus associare cadavera Confratrum et Sororum ad Ecclesiam et Oratorium cum interventu parochi. n. 3832 ad 12 die 22. Novb. 1710.

3) Congregatio.

Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia parochiali sive extra illam, possunt pro libitu et juxta unius cuiusque peculiaria Statuta Congregationes facere absque interventu et licentia parochi, dummodo non impediant functiones et divina Officia. n. 3670 ad 30 die 12. Jan. 1704.

Quando Parochus eisdem Congregationibus interest de mandato Ordinarii et tamquam ejus delegatus, non potest Suffragium decisivum ferre neque Suffragium duplex. *Ibid. ad 32 et 33.*

4) Erectio et confirmatio.

Vd.: *Cappellanus* (Confratern.).

Nemini licere inconsulto Episcopo in sua Dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates et eorum Statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios pertinent ad Episcopum tantum. n. 548 die 7. Oct. 1617.

Duas Confraternitates in *eodem loco sub eadem invocatione* erigi non posse, et . . . ideo ubique locorum id esse prohibendum. n. 1362 die 7. Decemb. 1641.

Neque etiam in alio loco ultra horam ab ecclesia, in qua aliqua confraternitas ejusdem nominis et instituti erecta manet, erigi potest. Bene vero in eadem ecclesia plures Confraternitates sub diversis tamen titulis institui possunt, e. g. de Rosario et de b. Corde Mariae, Confraternitates vero de SS. Sacramento et de doctrina christiana in qualibet ecclesia *parochiali* erigi licet. S. C. J. 7. Febr. 1607. Dec. Rot. Rom. 18. Jan. 1745.

Non obstare Bullam Clementis VII. quoad erectionem plurium Confraternitatum, quae sint diversi instituti vel Invocationis. n. 1950 die 7. Decemb. 1658.

*Ad dubium:* An liceat sub eodem

tecto stare duas Confraternitates ejusdem Instituti habentes eadem signa et peragentes eadem exercitia? S. C. resp.: Servetur Constitutio fel. rec. Clementis VIII. n. 2803 die 14. Novb. 1676.

Postquam Vicarius Generalis Dioecesis Montis Albani exposuit huic S. Sedi Apostolicae in Ecclesia Parochiali S. Jacobi Ap. Civitatis Montis Albani canonice erectam reperiri Confraternitatem Sacratissimi Cordis Jesu et Mariae (quae tamen vulgo sub priori tantum titulo Sacratissimi Cordis Jesu cognoscitur) prorsus distinctam ab Archiconfraternitate Romana sub eodem titulo Sacratissimi Cordis Jesu: siquidem haec Confraternitas Montis Albani duplicem habet scopum, spiritualement scilicet sodalium utilitatem et in necessitatibus temporalibus ope menstruae retributionis assistentiam, ab hac S. R. C. humillime postulavit ut declarare dignaretur: utrum in Civitate Montis Albani, vel in eadem Parochiali Ecclesia institui possit alia Confraternitas Sacratissimi Cordis Jesu Romanae Archiconfraternitati vel Confraternitati Molinensi in Gallia aggreganda, ac prorsus distincta ac diversa a Confraternitate, de qua supra, in Parochiali Ecclesia S. Jacobi erecta? Quae singula quum subscriptus Secretarius ejusdem S. R. C. retulerit in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis rescribere rati sunt: „Quum juxta exposita una Confraternitas ab altera differat non tantum nomine sed etiam scopo, simultaneae utriusque confraternitatis existentiae in eadem Civitate minime officere censenda est Constitutio s. m. Clementis Papae VIII., quae inipit: Quaecumque. Atque ita S. R. C. rescripsit. n. 5226 die 29. Nov. 1856.